



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

De insularis nostrae Batauiae felicitate, cultu, deliciis & commerciis;
quibus (veluti quoddam Orbis emporium) omnibus notissima est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

sum Betuæ nomen recentioris esse ætat-
 tis; cuius nemo veterum Romanorum me-
 minit, & quæ longè à Bethasia discrepet,
 quam sæpius vetusti scriptores memorant.
 Habes postremò nostram Batauiam mini-
 mè contractiorem esse quàm vt Romani
 Principes eam tanta fuerint dignati venera-
 tione, suoque satellitio & mutua fraternita-
 te, quæ vtique omnium insularum Rheni
 facilè nobilissima, mittebat Imperio viros
 etsi impari forsan numero, virtute tamen &
 fide omnium aliarum gentium præstantis-
 simos. Verùm vnde & quando hæc Ro-
 manorum & Batauorum charitas & mutui
 amoris perpetuum fœdus originem habue-
 rit; & vt longè ante Cæsaris tempora coa-
 luerit; aliàs apertiùs *referemus.

*De insularis nostre Batauiæ felicitate, cultu,
 deliciis & commerciis; quibus (veluti
 quoddam Orbis emporium) omnibus no-
 tissima est.*

DE insulæ Batauinæ cultu, felicitate &
 commerciis loquuturus; quoniam pro-
 prio laus sordet in ore; nec quisquam sui
 suorumque testis legitimus perhibetur, in
 medium adducam virum mira ingenij dex-
 teritate præditum, patria Mediolanensem,

E 3 arte

* In III.
 cap. libri
 quo De glo-
 ria & mi-
 seria septem
 artium li-
 beralium
 agit, &
 Theologiã
 omnium
 facilè prin-
 cipem sta-
 tuit.

arte Medicum, nomine Aloysium Marlianum. Is pro confesso Batauiam asserens Hollandiam; in quadam Epistola D. Hieronymo Buslidiano, Arriensi præposito elegantissimè scripta, mihiq̄ue per nostrum Martinum Dorpium Theologum, virum omnium qui in humanis agunt longè candidissimum & iuxtà eruditissimum pridem transmissa, Batauiæ nostræ præconia accuratissimè decantat. cuius Epistolæ vtpote lectu dignissimæ ne fragmentum aliquod Lectoribus obuiam, totum exemplar adscribam.

Aloysius Marlianus D. Hieronymo Buslidiano Arriensi præposito Salutem.

RECTE feceris, mi Buslidiane, si meam solitudinem & raram cum amicis cœnandi consuetudinem in bonam accipies partem; naturæque id meæ dederis aut fortunæ. Naturæ, quæ vsque ab incunabulis ita me instituit, vt studiis potissimùm delecter meis, neque maiorem vllam iacturam putem quàm temporis: Fortunæ, quæ me adeù per vltima quæque exercuit, vt tandem satis latère mihi non videar, si etiam intra me ipsum latuero. Contineo igitur me apud me, & mihi viuo, cum veteribusque
amicis,